

V. 1<sup>a</sup> F.

(cat. 4, 10-33<sup>b</sup>)



AD  
MEMORIAM  
VIRI PERILLVSTRIS ATQVE GENEROSISSIMI  
RVDOLPHI FERDINANDI

LIBERI BARONIS  
DE SILVERSTEIN ET PILNIKAV  
HAEREDITARII IN KLEIN-EILA, CRASCHEN, PAV-  
SEN, DAVBER, BVCHWALDE, ET BARG,

PROXIMO DIE VENERIS

1783

QVI

XVII. APRIL. ET RVDOLPHO IN FASTIS SACER EST

HOR. X.

IN

AVDITORIO PHILOSOPHICO  
TRIBVS ORATIONIBVS

PVBLICE CELEBRANDAM

RECTOREM MAGNIFICVM  
ILLVSTRISSIMOS COMITES

VTRIVSQVE REIPVBLICAE PROCERES  
GENEROSISSIMOS ATQVE NOBILISSIMOS ACADEMIAE CIVES  
EA QVA DECET OBSERVANTIA ET HVMANITATE

INVITANT

TRIVM ORDINVM THEOLOG. IVR. ET MEDIC.

DECANI.



ppropinquat iam dies *XVII. Aprilis* RV-  
DOLPHO in fastis sacer, quo memoria  
*Viri Perillustri atque Generosissimi* RV-  
DOLPHI FERDINANDI  
LIBERI BARONIS DE SILVER-  
STEIN ET PILNIKAV

*Haereditarii in Klein-Eila, Crafschen, Pausen, Dauber, Buchwalde et Barg*, anniuersaria nobis religione colenda est, qui praeter cetera, quibus scholas, ecclesias, xenodochia aliaque loca venerabilia ornauit, beneficia, academiae etiam nostrae ciues tot tantisque stipendiis auxit, vt, si regales Principum nostrorum liberalitates excipias, plura et maiora vix a quoquam iis fuerint tributa. De cuius vita, rebus gestis et virtutibus, cum alias a nobis dictum sit, nunc nihil afferemus, de ipsa autem benignitate, qua literarum cultores complexus est, et de beneficiis, quae in ciues nostros contulit maxima, pietas filere vetat. Sed et Reipublicae interest, constare omnibus de huius liberalitatis ratione, modis et causis, vt ii, quibus prospicere testator optimus destinauit, intelligant, quid agendum ipsis sit, si hac illius beneuolentia frui cupiant. Atque vtinam omnium piarum institutionum extarent tabulae, et non modo in libros publicos referrentur, sed etiam typis excryptae in omnium, quorum interest, notitiam peruenirent! Quam multa interierunt beneficia dolo aut culpa eorum, qui administrarunt! Quam multa in alios, quam quibus dicata erant, vsus executorum conuertit libido, quae perpetuo et sine vlla immutatione duratura fuerant, nisi, quos propriae vtilitatis cupiditas peruertit, occultari illa ex re sua censuissent. Episcoporum olim haec cura, hoc officium fuit, inquirere in piarum causarum statum, testamentorum, legatorum aliarumque donationum conficere indices, patronos, administratores, executores ad edendas tabulas et ad rationes reddendas compellere. Quod nunc Principes sibi iure suo vindicant, quibus nemo sine crimine, aut criminis certe suspitione negare potest ius cognoscendi de quibusque piis institutis, et in earum causas atque administrationem diligenter inquirendi. Neque enim audiendi sunt, qui ἀνελεγγιστοι esse cupiunt, quamuis longissimi temporis praescriptione, aut cuiuscunque immunitatis exceptione se tueantur, cum aeterna sit iuris huius, quod Principi competit auctoritas, et Reipublicae salus non permittat priuilegia vim habere, quae cum aliorum et piarum inprimis causarum summo periculo coniuncta sunt. Quae vero SILVERSTEINIANORVM beneficiorum sit ratio, eo magis commemorare expedit, quo luculentius

exinde non tantum de singulari *illius Viri* pietate et munificentia, sed et de eximia, qua in collocandis beneficiis usus est, prudentia et circumspectione, constat, quae tanta certe fuit, ut aliis exemplo esse possit. *Prima* benignissimi testatoris nostri *solicitudo* fuit *iuuare multos*. Itaque stipendia constituit, *tria* CL. *tria* LXXX. imperialium, quibus tria alia post illius fata acceperunt, singula L. thalerorum, ex usuris, antequam voluntas eius vltima impleteretur, perceptis confecta.

*Patent* autem haec beneficia omnibus, siue *Theologiae*, siue *Iurisprudentiae*, siue *artis Medicae cultoribus*, admittunt *Silesios*, *Lusatios* et *Misnenses*, quibus omnibus aequè prodesse studuit Noster, ut nunc eodem tempore tres *Silesii*, tres *Lusati*, tres *Misnenses*, tres *Theologiae*, tres *Iurium*, tres *Medicinae* studiosi hac liberalitate ex aequo fruuntur. *Maiora* enim, quae CL. thalerorum singula esse diximus, beneficia collata sunt:

DAVID HELWIGIO, *Ieschendorffio Siles. Theol. St.*  
IO. CHRISTOPH. REGNERO, *Halb. Lusat. Iur. Stud.*  
IO. GOTTLÖB HERTELIO, *Lipf. Misn. Med. Stud.*  
*Media* siue LXXX. thaler.

GODOFR. IAECKELIO, *Goerlicens. Luf. Theol. Stud.*  
IO. GVILIELM. TOEPFFERO, *Cold. Misn. Iur. Stud.* et  
CHRIST. BENIAM. SEMBDERO, *Porschwitz. Siles. Med. Stud.*

*Minora*

IO. DAV. BURGERO, *Misnens. Misn. Theol. Stud.*  
IO. SAM. SPIESSIO, *Vratislau. Siles. Iur. Stud.* et  
IO. CHRISTOPH. HOMEROCHIO, *Kalckwitz. Lusat. Med. Stud.*

Singulis autem *in triennium* haec stipendia assignata sunt, satis longum spatium ad studiorum cursum absoluendum, si quis ea, quam testator exigit, industria in iis verteretur. Quamvis autem in plurimos se benevolentia *Viri Perillustri* effundat, non minore tamen *delectu* quae fuit, quibus beneficia praestaret. Noluit enim ad quenquam eorum fructus peruenire, quam qui ea *sacra* coneret, quorum causa ipse sedes patrias relinquere non dubitauerat. Deinde non aliis ea tribui praecepit, quam *de quorum pietate, ingenio* et *industria* ex testimoniis fide dignis constaret, et qui *bonis literis* atque *Philosophiae* etiam principiis probe imbuti *Academica* studia ingrederentur. Nimirum rectè iudicabat perire beneficia male collata, et nihil quicquam praecleari facile ab iis expectari posse, qui his praesidiis destituantur. Si qui igitur expertes illarum literarum, quae ab humanitate nomen acceperunt, candidatos se profiteantur, eorum nullam haberi rationem voluit. Addidit etiam non dari debere haec bene-

ficia nisi iis, qui in studia Academica summa animi industria incumberent. Noluit enim impensis suis ignauorum alere inertiam. Cui acquissimae sane *Viri Optimi* voluntati, vt quantum in nobis est, satisfiat, singulis tribus mensibus inquirere solemus in profectus eorum, quibus haec beneficia collata sunt. Porro *egenis tantum prospicere* animum induxit, non iis, qui aliorum liberalitate non opus haberent, in ponendis beneficiis non mores tantum, sed fortunam etiam hominum, secutus. Fidem igitur facere debent indigentiae, qui ad haec beneficia aspirant. Praeterea ab eo pie, praeclare et sapienter institutum est, vt a *nostris Ordinibus*, quos executores suorum munerum esse voluit, praeuia diligente inquisitione ex iis, qui nomina professi sint, *tres*, quos maxime idoneos iudicauerimus, ad singula stipendia *eligerentur*, ex quibus *vni, cui fors faueat*, in triennium hoc beneficium conferatur. Diligentius quaerere atque circumspicius deligere nos iussit tres, quos dignissimos haberemus, ex his, qui acciperet beneficium arbitrio nostro definiri noluit, forti hoc et diuino iudicio reliquit. Omnes igitur, qui natalis soli, morum et doctrinae testimonia proferunt, ad inquisitionem Candidatorum admittimus, omnes inuitamus. Ex omnibus tres maxime commendabiles nominamus ad sortem. Haec, qua ratione singula beneficia collocari debeant, sola decedit. Denique hoc singulari amori et *benevolentiae erga nostram Acaedemiam* attribuendum est, quod iis, qui *apud nos* studiorum causa commorantur, haec beneficia propria esse iusserit, non in alias literarum officinas transferenda. Nostrum est, tantam munificentiam posteritati commendare atque omnem adhibere curam, vt perpetua haec sint beneficia, atque vt bene et secundum tabulas *indulgentissimi testatoris* collocentur. Memoriam autem *Perillustri* atque *Generosissimi* huius *Viri* quotannis vna cum illius beneficiariis publico et solenni ritu colemus. Fungentur hoc pietatis officio ex nouem, quos antea nominauimus, alumnis

GODOFREDVS IAECKELIUS,

IO. GVIL. TOEPFFERVS et

CHRIST. BENI SEMBDERVS,

atque proximo die *Veneris* post hor. X. in Auditorio Philosophorum SILVERSTEINIANAE gentis atque inprimis RVDOLPHI nostri, cui studiorum suorum incrementa debent, gloriam tribus Orationibus celebrabunt. Quos vt *Rector Magnificus, Illustrissimi Comites, vtriusque Reipublicae Proceres, omnium Ordinum Cives* beneuole audiant, atque haec Sacra anniuersaria sua praesentia ornent et illustrent, ea, qua decet, obseruantia et humanitate rogamus. P.P. Lips. Dom. Quasimodog. An. cl. lccc XXXIII.

L I P S I A E

LITERIS IO. CHRISTIANI LANGENHEMIL.

Yc 6897

2<sup>o</sup>

II

ULB Halle 3  
002 690 918




5b.

1077

n. l. u







AD  
MEMORIAM  
VIRI PERILLVSTRIS ATQVE GENEROSISSIMI  
RVDOLPHI FERDINANDI

LIBERI BARONIS  
DE SILVERSTEIN ET PILNIKAV  
HAEREDITARII IN KLEIN-EILA, CRASCHEN, PAV-  
SEN, DAVBER, BVCHWALDE, ET BARG,

PROXIMO DIE VENERIS

QVI

XVII. APRIL. ET RVDOLPHO IN FASTIS SACER EST

HOR. X.

IN

AVDITORIO PHILOSOPHICO  
TRIBVS ORATIONIBVS  
PVBLICE CELEBRANDAM

RECTOREM MAGNIFICVM  
ILLVSTRISSIMOS COMITES

VTRIVSQVE REIPVBLICAE PROCERES  
GENEROSISSIMOS ATQVE NOBILISSIMOS ACADEMIAE CIVES  
EA QVA DECET OBSERVANTIA ET HVMANITATE

INVITANT

TRIVM ORDINVM THEOLOG. IVR. ET MEDIC.

DECANI.

Collegii

als Oberhof-Prebiter in Dresden d. 24 Dec. 1707 CXCVII

Med. CLXXXVI. D. Aug. Div. Rivinus Lips. rec. d. 22 Febr. 1701 \*

B. CLXXXVIII. Ulrichus Junius, Ulmenfis, Math. Prof. rec. d. 21 Jun. d. \*

